



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXV. De Clerico Percussore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

tradidit, ea cum Ingenii profunditate, maturitate
 Judicii docendique claritate, ut merito inter sumos
 sui temporis Doctores sit computatus. Loquuntur
 viri præstantiam complura in lucem edita librorum
 monumenta, quæ, cum subinde Studiorum Præ-
 fectum ageret, cum ex Universa Theologia, tum
 etiam de Jure & Justitia, mira claritate doctissi-
 mè elucubravit. - - Tandem meritorum & do-
 rum plenus piè obiit Ingolstadii 22. Junii anno
 1689. ætatis suæ 79.

TITULUS XXV.

De Clerico Percussore.

SUMMARIUM.

1. Quis dicatur Clericus Percussor.
2. Quæ percussio sit Clericis prohibita.
3. Et cui subjaceat pœna.

I **P**ercussor Clericus dicitur, qui alios verbis
 excipit vel per seipsum, vel excipit
 mandat per alios.

2 Dico I. Percussio immoderata, seu cum nota
 bili excessu, graviter, moderata autem, si fiat ab
 que justa causa & non nimis frequenter, levis
 est prohibita omnibus Clericis. 2. Moderata
 est permessa. Pars I. sumitur ex *can. 1. c.*
7. de 45. c. 1. & 2. h. t. Ratio est, quia verberatio
 gravis graviter, levis autem injustè facta leviter
 reple

repugnat charitati, & iustitiæ erga proximum, ac modestiæ & decentiæ Clericali. Pars 2. ex *can. 19. d. 1. de pœnit. c. 1. c. 54. §. 2. de sent. excom.* ubi Clericis, qui munus præceptorum vel magistrorum obent, permittitur moderatè discipulos correctionis causâ percutere, etiam Clericos, imò etiam Sacerdotibus & aliis Clericis senioribus ob zelum devotionis adolescentes, etiam in Ordinibus minoribus constitutos, si turbent officium & rem divinam. *c. 54. cit. & c. 16. eod.* Item Prælatis Ecclesiasticis, tam Regularibus quàm Sæcularibus, Religiosos & Clericos sibi subjectos ex causa punitionis, & quidem in Minoribus constitutos propter culpas leviores, in Majoribus propter excessus graviores. *can. 8. d. 45.* Episcopo tamen propriis manibus percutere non licet. *can. 25. dist. 86.* bene tamen per alium, qui de Jure scripto deberet esse Clericus (sicut si Prælatus Regularis vellet per alium castigare verberibus, is deberet esse Religiosus) aliàs tam mandans, quàm Laicus exequens, incurreret excommunicationem. *c. 24. de sent. Excomm.* Consuetudo tamen, cùm difficile sit reperire Clericos, qui id muneris in se suscipiant, incarcerationem, torturam, verberationem &c. permittit Laicis, cui consonat Jus recentius in *c. 15. eod. in 6.* Si percussio foret notabiliter excessiva, tam mandantes quàm exequentes incurrerent excommunicationem *Canonis.*

Dico 2. Clerici Laicum injustè vel immoderatè percutientes prima vice corripendi, si verò se non emendent, sed sæpe ac passim, vel enormiter procedant ad verbera, deponendi sunt. *c. 1. 2. h. t.* Si autem notabiliter excedant in verbe-

3

be.

berando Clerico, ipso facto incurrunt excommunicationem reservatam. *can. si quis suadente 29. caus. 17. q. 4. c. 24. cit.*

TITULUS XXVI.

De Malédicis.

SUMMARIUM.

1. *Quis dicatur Malédicus. Quid sit Blasphemia, Detractio, Contumelia.*
2. *Quæ sit poena Blasphemia.*
3. *Quæ Detractionis, & Contumelia.*

I **M**alédicus est, qui malè vel malum dicit seu loquitur contra vel de alio, seu quod maledictum jacit in alterum. Fieri potest vel contra Deum aut Sanctos, & vocatur *blasphemia*: vel contra homines: si contra absentes *detractio*, si contra præsentem vel in faciem, *contumelia*, *calumnia*, vel *convitium* appellatur: per *detractionem* fama: per *contumeliam* honor proximi læditur: si proximo verbis optetur malum in futurum, dicitur *imprecatio*. Si per maledictum Deo aliquid negetur, quod ipsi convenit uti providentia, omniscientia, justitia &c. vel ipsi aliquid tribuatur, quod ei non convenit, uti operantibus, personarum acceptio &c. vel tribuatur creaturæ, quod Deo soli debetur, uti omnipotentia futurorum & cordis secretorum scientia &c. *blasphemia hæreticalis*: si quis Deo optet malum convitiatur Christum, abominetur Sacramentum Christi